

depositum & sic solius depositarii vel utriusq; versatur utilitas *l. 4. pr. ff. de reb. cred. ff. b. t.* Vel *III.* depositarius fuerit in mora restituendi *l. 12. § 3. ff. b. t. 4.* mercedem pro custodia acceperit *l. 5. §. 2. ff. commod. §. si depositum fuerit in regulare seu mixtum l. 24. l. 26. ff. eod. Zoës. ad h. t. n. 19, Hahn. ad Wesenb.*

Th. 8.

Quoniam in præcedenti Thesi, depositarium suscipiendo rem depositam deponenti naturaliter obligatum esse, paucis explicavi, convenit quoq; vi obligationis istius, ut depositarius illud, quod depositum est, reposcenti deponenti quocunq; tempore reddat *l. 1. §. 22. ff. b. t.* etiamsi de certo tempore fuerit conventum *l. 1. §. 45. & seqq. ff. eod.* Cum enim in depositare nil juris transeat ad ipsum depositarium & deponentis gratia regulariter contrahatur, ex natura contractus tacite colligere licet, deponenti integrum esse pro arbitrio revocare contractum & mutare voluntatem, adeo, ut neq; compensatio neq; doli aut non numeratae pecuniae exceptio opponi possit *l. ult. C. de compens. l. 14. §. 1. C. de non numer. pecun. l. 11. ff. depos. §. 30. inst. de act.* accedit præterea, quod depositarius cum deponente præsumatur dolose agere, si traditionem rei depositae recusaret *l. 1. §. 22. ff. b. t.* qui dolus tamen in hoc b. f. negotio, ut in *cap. III.* audiemus, maximè venit coercendus. Verùm enim verò nullam dari regulam in omni disciplinarum genere usq; adeo firmani, quæ suas non admittat exceptiones, aliàs constat. Eodem modo dantur & hic casus à regula meritò excepti, quibus depositarius restitutionem deponenti justè denegat, quo ipso tamen crimen doli minimè incurrit. Et quidem primò, si hîc, qui deposuerat gladium, nunc furiosus existat *C. ne quis 22. quest. 2. II.* Si bona ejus ob delictum sunt confiscata *l. 31. pr. ff. b. t. III.* Si Dominus unà cum fure repetat *l. 31. §. 1. ff. eod. IV.* Si res furto ablata apud verum ejus dominum deponatur *d. §. 1. & 2.* ratio est, quod licet sit juris naturalis, redde Depositum, adeoq; in se mutari neqveat; mutatâ tamen hypothesis, circumstantiæ diversum jus citra regulæ præjudiciû surrogare possunt, ita ut æquitati juris naturalis nihil decedat. *Vid. Hahn. ad Wesenb. n. 5. in fin.* Spectat huc etiâ locus perquam elegans pessimi prin-